



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regvlarvm Vtrivsque Ivris Cvm Ampliationibvs Ac Limitationibvs

Dueñas, Pedro

Venetiis, 1566

Regvla CXLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63232)

bilitationis ad hæreditatem secundum Imperialis. C. de imperial. ibi nam omni macula penitus deleta & sui quasi natalibus redditis, & Anch. in consi. 308. nu. 2. & Brunus consi. 1. & 3. & Deci. consi. 360. col. 5. & 6. nu. & Bal. in l. cum filius. ff. de test. milit. & Bal. late in l. re. pra. col. 2. C. de rescript. imperat. offerend.

REGULA CXLIII.

I Pallor & trepidatio in præsentatis & carceratis est inditium fallax, & debile, sed iudici arbitrium, quia sæpe uidemus, quod homines de proprio honore solliciti, dum in carceribus conspiciunt, nil aliud cogitant, nisi quantum labem sit ex ipsarum incarceratione allatura & quæ futura sit hominum opinio, sed quandoque extra propositum obloquuntur, & perditis fere sensibus delirant, & se mistulti fiunt, & tamen tanquam innocui liberantur, ex carceribus & ob id discretus iudex debet animaduertere & esse multum circumspectus secundum Bal. in l. presbyteri col. 2. C. de episcopis & cler. nu. 2. quia dicit Lucas de Pen. in l. quoricens. nu. 42. de dignit. l. 12. quod erubescere, pallere & inconstanter loqui sunt signa male conscientia, & secundum Ouid. O quam difficile est crimen non prode uultu, & uide Gramm. uor. 30. nu. 4. & 5. & idem Lucas in l. euect. nu. 12. C. de cur. publi. l. 12.

I Fallit hæc regula in homine a natura pallido, quia paliditas cum sit a natura est, inuariabilis & immutabilis, nisi ultra paliditatem eueniret accidentia signa & indicia proxima delicto obiecto, quia tunc esset aliud præsumendum secundum ea de quibus in l. fin. ff. de act. & obl. in fin. considerando tempora causas, & personas.

REGULA CXLIIII.

I Princeps in concessionibus nunquam intendit inferre iniuriam tertio tex. est & ibi glo. not. in uers. generali. C. si cont. ius uel pub. utilit. & l. i. §. merito. & §. si quis a princip

cipe. ff. ne quid in loco pub. fa. Rot. deci. 331. in no. & Bal. in l. rescripta col. 2. C. de præcib. imper. offerendis.

- 1 Fallit in 4. casibus enumeratis & annotatis in glo. d. l. fin. & ibi Ias. in 6. limitationibus, quas omnes, uide & considera.
- 2 Fallit in concessionibus factis uiduis & pupillis, & licet illud met concedatur alicui tertio cum clausula non obstante, attamen nullo modo censetur derogatum, nisi fiat specialis mentio de dictis uiduis & pupillis, secundū Alber. in l. i. C. quando imp. inter pup. Feli. in c. accedentes de præsumpt. Grammat. deci. 20. nu. 1. Ias. in l. i. col. 3. de const. princ. ubi princeps non intendit mutare contractus præcessoris, & Deci. in re. nemo potest mutare. ff. de reg. iuris.
- 3 Fallit etiam quando princeps procedit de plenitudine potestatis ubi imperator sine causa potest tollere nobis dominium rerum, & qui aliter dicunt mentiuntur pro ut Angelus in l. ii. C. de quadr. perscrip. & l. item si uerberatum. §. i. ad fin. ff. de rei uendic. & late Deci. in c. quæ in ecclesiarum nu. 103. usque 112. de const. late Barb. consi. 24. uol. 2. & consi. 63. col. antepenul. uol. 4.

REGULA CXLV.

- 1 Præsumitur ignorantia ubi non probatur scientia, text. est in c. præsumitur de reg. iur. in 6. Grammat. deci. 36. nu. 16. & nota q. ignorantia est triplex, bona, mala & indifferens, & alia est iuris, alia uero facti iuris ignorantia multiplex facti uero certi, uel incerti de qua uide Luc. de Pen. in l. generali. C. de tabul. l. 10. nu. 6. 7. 8 & 9.
- 1 Fallit in notoriis, quia illud publice scitur, quod publice est notorium, quia eo tunc præsumitur scientia ubi nõ probatur ignorantia glo. est ord. in l. si tutor petitus. C. de peric. tur. Bal. in l. p. C. de recept. & l. i. C. qui aduer. quos Bar. in d. l. si tutor. doct. in c. quoniam contra. §. i. ut lit. non contest. glo. in clem. i. de sepult. in uersu. publice. Idem
L 2 Bal.